

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1409 8°




Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1409 8°




Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1409 8°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1409 8°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1409 8°


Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1409 8°

35.-175. DA BOX

LN 1409
M



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1409 8°

DE NVPTIIS INCLYTI DANORVM REGIS FRIDERICI SECVNDI, ET

Sophiæ Illustrißimi Ducis Vlrici Megalburgensis filiæ.

IOHANNES GEORGIVS
Sadolinus P.L. Danus.



Hafniæ,
IMPRESSIT LAVRENTIVS
Benedicti.
In Mense Iulio, Anno
1572.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1409 8°

VOTVM NVPTIALE.

COniugij Casti DEVS est castißimus autor
Coniugibus tribuens commoda læta pijs.
Idem Castigat pœnis truculentus acerbis
Ignibus illicitis quos vagus vrit amor.
Eueniant igitur gratißima tempora vobis,
Fœderis vt puri dulce feratis onus.
Vos vehat aurato Concordia fulgida curru,
Angelicusq́; latus claudat vtrunq; chorus.
Candida præcedat Virtus & dulcis honestas:
Excellens niueis Fama sequatur equis.
Ducite iucundæ felicia stamina vitæ,
Et regat æternus pectora vestra DEVS.



DE



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1409 8°

DE NVPTIIS INCLYTI DANORVM REGIS FRIDERICI Secundi, & SOPHIÆ Illustrißimi Ducis VLRICI Megalburgensis Filiæ: Iohannes Georgius Sadolinus P. L. Danus.



VREA Danorum qui Rex Friderice Secunde,
Regibus ex Atauis ac ortus Rege parente,
Et generaturus placato numine Reges,
Sceptra tenes dextra valida, sphæramq; sinistra
Schema poli præbentem alti terræq; figuram:
Quiq; piam fuluo monstras diademate frontem,
Ostendisq; latus munitum iure fideq;
Nec gladio tantùm præcinctum: quiq; renides
Corporis insigni cultu, mentisq; vigore
Conspicuo, donisq; alijs magnisq; bonisq;
Quæ Natura decens tribuit Fortunaq; culta,
Vel potiùs Deus ipse potens moderator & autor
Naturæ, simul & Fortunæ: Quippè decenter
Insurgis: tollisq; iubar sublimis & altus,
Non secus ac superos inter qui splendet amictu
Iuppiter æthereo rapidam dùm mitigat iram
Fatorum & certo disponit singula nutu.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1409 8°

Tu ſiquidem populos recto moderamine ducis
Non modò bellipotens quà fulget Dania, verùm
Quà patet ambiguo diues Noruegia tractu,
Et Gotia exurgit præclara potentibus armis,
Ac vicina iacens glaciali Iſlandia ponto
Famoſum iactat ſolium Plutonis & Heclam
Flāmiuomo (velut Ætna tumens) quæ feruet hyatu.
Te talem & tantum Sadolini Muſa Poëtæ
Ore verecundo, Rex ô Friderice, ſalutat:
Et (quia caſta Deo curæ ſunt vota preceſq;)
Omnia fortunata tibi, omnia læta precatur:
Quod fore promiſi cùm Danos carmine Reges
Nuper honorarem & decorarem flore choroq;:
Lux etenim diuina aderit, fluet hora benigna
Qua ſociam vitæ tibi Chriſtus maximus addet.
Tempus erit quo tu ſocialia fœdera lecti
Panges laudandi: veniet tibi florida virgo
Os humeroſq; Deæ ſimilis, cui nobile pomum
Poſthabitis alijs formoſus detulit vni
Priamides: quamuis hæc caſtior, atque beato
Pectore ſancta magis, vitaq; decentior omni,
Et ſtudijs rectis ornatior, atque modeſtis
Moribus aucta magis: nam quid pietate fideq;
Eſt melius? Felix, quem tanto munere magni
Exornant ſuperi. Gaude, Rex inclyte, gaude

Sorte

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1409 8°

Sorte tua: ſiquidem quod agis, Deus optimus ornat.
Ille bonos Reges iuuat & defendit amanter,
Ille pias munit Reginas, ſeruat & ille
Progeniem Regum, populoſq; in pace tuetur,
Quîs pietas cordi, quîs curæ ſplendida Virtus.
Dicite Pierides, mea gloria, dicite Muſæ
Cætera quæ reſtant memoranda: meumq; iuuate
Conatum, ſi vos teneris reuerenter ab annis
Aut colui, aut veſtras herbis redolentibus aras
Purus adornaui: fateor ſine numine veſtro
Eſſe mihi nullum genium ingeniúmue tributum:
Vos etenim, ô Muſæ, vireſq; modumq; loquendi
Fertis, & auxilio veſtro fluit aurea vena
Vatibus egregijs, quîs dulcia carmina curæ,
Plectraq; ſunt cordi, quibus emodulantur amores
Ingenuos pueri Muſarum, turbaq; culta
Nobilium Vatum Regum ſonat inclyta geſta.
Dùm loquimur, claris reſonat concentibus æther
Arduus: inſolita gratæ dulcedine vocis
Balthicus exurgit Nereus: Germanica Tethys
E vitreis ſurgit thalamis, formatq; choreas
Nereidum faciles: Diui diuæq; marinæ
Leniter elati placido ſe murmure miſcent:
Cùm ſenior Glaucus, tumidarum fuſor aquarum,
Vocibus his infit. volitat iam candida Fama

 Per

Per mare, per terras, niueis quæ ſplendida pennis
(Mirandum dictu) ſpecioſas explicat alas,
Sermoneſq; ſerit Dani de Regis amore:
Qui ſociam poſcit, Sophiam quam nomine dicunt,
Principis Vlrici gnatam, quem laude coruſcum
Terra Megalburgenſis amat, veneratur, honorat.
Quem Regem Danum, quam Regum ſtirpe puellam
Progenitam, celebrant omnes doctiq; boniq;.
Ambos maiorum nam ſtemmata fulgida iungunt:
Ambos Virtutis decus inuiolabile nectit.
Vernouides gaudete ſacræ, quæ mollibus vndis
Miſcetis teneros flores, & in vrbe Roſarum
Vatibus Aonijs offertis pocula læta,
Qualia Caſtalio fundunt è fonte Poëtis
Cultis Pierides Græcæ Latiæq; Camœnæ.
Vos quoq; Balthiades Nymphæ, quæ Danica regna
Cingitis amplexu dulci, gratoq; liquore
Agros abluitis patulos, Cereremq; feracem
Efficitis, piſceſq; ſimul merceſq; decentes
Nauibus aduectas datis, exultate precantes
Læta pio ſponſo, caſtæ felicia ſponſæ
Tempora, qui leges ornant tædaſq; iugales.
Mars etenim veſtras qui trux rube fecerat vndas
Sanguineis manibus, iam demùm ritè quieſcit:
Et Bellona ſilet poſitis feralibus armis

Impia:

Impia: non litui, non vos fera claſsica terrent:
Eſt mare pacatum, naualia prælia ceſſant:
Nec, velut ante, volans contorta phalarica ſtridet,
Raucaq; concutiunt imbelles tympana mentes,
Terribiliſq; hominum ſtrepitus corda ægra fatigat.
Omnia læticia potiùs, pace omnia plena
Rident: ad votum Friderici dulce Secundi
Temperat aſtra Deus pulcerrima: vota piorum
Grata Deo, precibuſq; ſacris hic commodat aures
Ingenuas, digniſq; iuuat ſucceſsibus omnes
Conatus rectos: ſanctum nec deſerit vnquàm
Cœtum, qui Chriſti placidiſsima dogmata ſeruat.
Hæc ſenior Glaucus: vaſto ſe gurgite Triton
Attolens, quis, ait, Friderico par in honore
Danorum Regi? totum qui ſtrenuus æuum
In ſtudijs rectis tranſegit: nam puer artes
Amplexus primas Muſarum, præbuit alti
Ingenij ſpecimen (teſtis Suaningius heros
Qui moderator erat primæ cuſtoſq; iuuentæ)
Æqualeſq; ſuos haud longo tempore vincens
Non modò Fortuna, quia natus Rege, præiuit:
Sed virtute etiam enituit pulcroq; labore,
Alter vt Alcides fulgens, & vt alter Achilles.
Illius eſt igitur dextra Ditmarſia victa,
Illius auſpicio gens eſt ea tota ſubacta:

Iuraq́ qui populi ſpreuerunt Danica, iam nunc
Daniacæ Legis Friderico Rege iubentur
Ferre iugum caſtum, placidaq́ fouerier aura
Innocuæ pacis, poſtquàm ceſsère repreſsi.
Quid referam clades Goticis quas Gyngius oris
Intulit, auſpicio Friderici? quoſq́ labores
Suſtinuêre equites Dani? ſed fœdere facto
Iam coière Duces, magnos concordia Reges
Sancta tenet, pacem ſtabilem pia corda ſequuntur.
Lætatur Phœbus, lætatur & Attica Pallas:
Exultant Charites, promunt ſua gaudia Muſæ
Doctiloquæ, lauro Fridericus tempora Vatum
Victrici incingit, tribuuntur munera doctis
Digna viris, dantur generoſæ præmia iuſta
Virtuti, clariſq́ viget precioſa triumphis
Dania, magnificaſq́ refert Germania laudes:
Vtraque grata Deo tellus, ac vtraque Muſis
Cara pijs: ſed nunc (ſic Dij voluiſtis) amores
Eximij Danos Germanis iungere debent
Fœdere perpetuo. Nam cum Fridericus amantem
Excipiet thalamo Nympham, cum Nympha pudica
Se Regi iungens diademata fulgida ſumet,
Danica tunc tellus, tellus tunc Teutona miti
Iungentur plauſu, populiq́ in amore quieſcent
Aeterno: nec enim turpis regnabit Erinnys,

Semina

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1409 8°

Semina quæ belli ſerit, & producit in arma
Horrida mortales miſeros, cœtuſq; proteruè
Conterit humanos, pedibuſq; decentia iura
Conculcat, vaſtatq; agros, & diruit vrbes:
Sed pax blanda genas toto florebit in orbe,
Relligioq; decens ſplendeſcet flore venuſto
Dogmatis ætherei, Legeſq; & iura nitebunt.
Omnibus eſt igitur gaudendum: nónne marinæ
Diuæ gaudentes Thetidem duxêre per æquor
Vndiuagum pulcram, cuius correptus amore
Peleus ambiuit non obſcuros Hymenæos.
Et nunc tempus adeſt quo iunctas fune carinas
Delecti iuuenes Germanæ robora pubis
Educunt, celerantq; rates, & cærula verrunt,
Velaq; diſtendunt, & ventis carbaſa pandunt.
Virgo venit ſpecioſa, cohors comitatur honeſta
Regali pompa, multiq; ſequuntur amici
Sanguine vel nitidi, docto vel pectore clari.
Fortéq; Dauides Chytræus per freta ſalſa
Nauigio vectus, ſponſo ſponſæq; benigna
Vota feret: nam quis facundo doctior ore,
Cordéq; diuino præſtantior? iſta locutus
Cæruleus Triton, barbamq; comamq; madentem
Mollibus abſterſit manibus, finemq; loquendi
Fecit: at è Nymphis pulcerrima Callianaſſa,

 Bellaq;

Bellaq; Phyllodoce, nec non formoſa Ligea,
Et niueis Galathea genis, Panopæaq; culta,
Inſignisq; comis oculiſq; Arethuſa venuſtis,
Inſiluêre choro læto, circaq; vagantes
Nauigium ſponſæ dulci cecinêre ſuſurro
Carmina pauca quidem, ſed non ingrata referri.
Salue cara ſoror, tu Regum ſanguine nata,
Es nuptura pio Regi, tu prole beata
Efficiêre: Dei magnum modò numen adora,
Et Chriſti Domini conſerua nobile verbum.
Viue Deo, quin & dilecto viue marito,
Quoq; potes ſtudio tu Regni commoda quære.
Præcipuè veró doctorum ſuſcipe curam
Per quos Relligio Chriſti decoratur, & artes
Seruantur doctæ: nec neglige templa Scholaſq;,
In quibus ipſe Deus colitur, Muſæq; vigeſcunt:
Tùm viduas triſtes, miſeroſq; iuuato pupillos.
His quicquid tribues, hoc non, Regina, peribit:
Rex etenim Chriſtus celſo qui regnat Olympo,
Mundanoſq; fouet Reges, caſtaſq; tuetur
Reginas, reddet tibi certè præmia digna,
Progeniemq; tuam decorabit munere largo.
Hæc vbi cantârant delectæ carmina Nymphæ,
Teutonicas naues in littora Danica Proteus
Falſtricus intrudit: demittunt lintea nautæ:

Anchora

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1409 8°

Anchora proijcitur: proceres ſua gaudia promunt
Dulcibus alloquijs: demùm tunc ordine iuſto
Puppibus ex altis deſcendunt: Falſtrica tellus
Reginæ aduentu gaudet, rumoreq; grato
Præſentis Dominæ vicina Lolandia plaudit.
Salue feſta dies qua formoſiſsima virgo
Regis in amplexum Friderici lege iugali,
Ceu Deus omnipotens mandauerat ipſe, feretur:
Labere clara dies, non tu violabere mœſtis
Nubibus aut pluuijs inſanis, nomen amœnas
Inter Ephemeridas lætumq; nitenſq; tenebis.
Pergite Pierides, mea gloria, pergite Muſæ
Prodere quæ dederint venienti munera ſponſæ
Illuſtres Diuæ, vos hac nec parte tacete.
Eſt locus (huic ſilices tribuêre notabile nomen,
Quem Flintingiacum veneranda Lolandia dicit)
Fontibus, & ſyluis, & agris decoratus amœnis:
Nec ſedes Diuis eſt aptior vlla futura,
Si terras habitare velint, aulaſq; relinquant
Æthereas: hæc qui tranſis loca, care viator,
Nominis eſto memor Sadolini, atque aſpice caſtas
Muſas, & Charitum ſuauiſsima numina cerne.
Qua regione Deæ tres, Cypris, Iuno, Minerua,
Vnanimi egreſſæ conſenſu, lite remota
Antiqua, Sophiam Nympham pulcramq; piamq;
Ecce

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1409 8°

Ecce ſalutatum veniunt: mox munera promunt,
Nempè voluntatis non vilia ſigna benignæ.
Harum prima loquens, formam tibi ſpontè reliqui
Præſtantem, dixit: nec me tibi præfero, quamuis
Sim Dea: nam tota es rutilans, ſpecioſa, venuſta,
Auroræ veluti formoſæ nobile ſydus.
Sume tamen ceſton reuerendi munus amoris,
Gratior vt ſponſo fias: iucundius ecquid
Et melius, quàm ſi ſponſum florentibus annis
Complectaris ouans, qui caſto captus amore
Te ſociam ſibi delegit, regniq́ vocauit
Participem? dùm fata ſinunt his vtere donis
O Regina decens, & grates ſolue Tonanti.
Altera ait, magnum tibi dono, puella, fauorem
Diuitiiſq́ beo te multis: inſuper addo
Gemmea vincla tuo femori, quæ fœdere iungent
Æterno ſponſumq́ tuum, teq́ optima ſponſa.
Tertia, quæ Pallas, tibi ceſſi nobile pridem
Pectus, ait: mentemq́ tibi, Regina, beatam
Formaui, vt ſanctè viuas, diſcasq́ libenter
Dogmata pura Dei, prudenter & omnia cepta
Expedias, linguamq́ pia ratione gubernes:
Te tamen egregia decoro ſapienter oliua,
Vt bonitatis amans, ſtimules ad fœdera pacis
Iratos animos procerum qui bella requirunt,

Sæuaq; damnandi connectunt iurgia Martis.
Rumor vt hic venit Friderici Regis ad aures
De sponsæ aduentu, Christo pia vota precesq;
Soluit: & exornans equites, celeresq; quadrigas,
Prodit in occursum: Nympham tum deinde salutat
Optatam: reliquosq; simul compellat amanter,
Alloquioq; leuat miti: tuba læta resultat
Harmonicis modulis, & carmina læta canuntur.
Rex equites inter fortes pulcerrimus extat
In circumstantes effundens lumen amicum,
Sol velut in cœlo radianti luce refulgens
Crescentes viridis terræ commendat aristas.
Aurato inuehitur curru Regina nouella
Virgineo comitata choro Nymphisq; pudicis,
Cornua ceu referens splendentia fulgida Luna,
Quam cingunt stellæ rutilantes nocte serena.
Illum mirantur Dryades & Oreades vnum:
Illam vnam ardenti suspirant pectore Fauni.
Hafnia, quæ reliquas inter clarißima fulges
Vrbes Danorum, iam gaudia dulcia carpe:
Rex pius ingreditur, Reginaq; iungitur illi
Ore verecundo clarißima, moribus aptis
Optima, sublimi Regum dignißima stirpe.
Quos ambos leges & iura decentia iungi
Connubio stabili permittunt, sanguine quamuis
Sese

Sese respiciunt, & stirpe feruntur auita
Progeniti, generis non longas tangere metas.
Quod Deus admittit, simul & ciuilia iura
Non damnant, illud fieri reputato decenter
Regibus à magnis: quamuis restrictio legum
Non rarò fiat, ne praua licentia vulgi
Effluat in peius, iurisq; oriatur abusus.
Quod quoq; Mercurius qui nuncius esse Deorum
Facundus fertur magnorum, pandere sueuit:
Cui prorsus similis vultu, linguaq; diserta
Liddouiæ Dominus Caspar Paslichius heros,
Interpres Legum qui nostri Regis in aula
Consilijs rectis pollet, virtuteq; clara
Enitet, ac Musas mira pietate tuetur.
Quocircà meritò canimus sanctos Hymenæos,
Hortamurq; alios vt castas carmine tædas
Condecorent digno, quas Rex Reginaq; nostra
Iure parare student: nam multos Hafnia Vates
Iam fouet ingenio celebres, atq; arte vigentes.
Doctor Ioannes Franciscus non modò clarus
Arte nitet medica, verùm & testudine mirus
Aonia, Phœbo dignißima carmina pangit.
Doctor Ioannes Pratensis Apolline plenus,
Et medicos miscet succos, & Musica plectra
Temperat, & numeris constringit verba disertis.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1409 8°

Ioannes quoq; Saſcerides caſtusq; bonusq;
Vates, quàm valeat cithara, fidibuſq; venuſtis,
Demonſtrant hymni quos magna condidit arte.
Sunt etiam plures magniq; probiq; Poëtæ
Dania quos nutrit, quibus omnibus vna voluntas
Eſto, pio Regi meritas pertexere laudes,
Reginæq; bonæ dignum perſoluere votum.
Intereà, Rex ô Friderice Secunde, vigeſce,
Siſq; in amore tuo felix, ſemperq; beatus:
Tuq;, decens Regina, tuo te iungito Regi,
Blanda velut vitis ſocio coniungitur vlmo,
Littori & vt placido ſociat ſe Cypria myrtus.
Non dolor atque dolus veſtrum turbabit amorem,
Nam Deus ipſe ſuis manibus vos ducit & ornat.
Qui cum coniugium ſtatuat ſanctosq; Hymenæos,
Dignum erit vt coniunx venerandi caſta mariti
Flagret amore pio: Iuſtum, vt vir fidus amantem
Vxorem foueat, ſaniq; Cupidinis igne
Ardeat: Iſacides nunquid Rachelide pulcra
Exarſit, velut ipſa illum reuerenter amauit?
Connubium caſtum quiſquis contemnit & odit,
Legitimoſq; thoros violat, legeſq; iugales
Contemerat, magni accelerat ſibi numinis iram:
Temporibus Noæ Dominus cur perdidit orbem
Fluctibus vndarum? cur demùm perculit idem

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1409 8°

Ignibus æthereis Sodomam, celebremq; Gomorram?
Dardana quid cecidit lacrymoſo funere Troia
Pergama cùm miſeranda graui repleret Achilles
Terribilis luctu? cur plurima regna frequenter
Peſte, fame, & gladio, furiiſq; agitata leguntur,
Hiſtoriæ vt produnt ſacræ, libriq; prophani,
Multaq; demonſtrant noſtri paradigmata ſecli
Inuidioſa licet? cauſſa extat fœda libido
Criminis impuri, Veneriſq; licentia turpis.
Obijcienda vagis ſunt ergò repagula flammis,
Qualia coniugij ſignantur in ordine puro,
Quod Pater inſtituit cœleſtis: quodq; parentis
Æterni Natus decorauit munere magno,
Fontis aquam inſipidam puri cùm protinus ipſe
Verteret in ſapidum vinum, fundiq; iuberet
Pocula læta meri ſpumantis: honorat & ipſum
Coniugium ſancto ſublimis Spiritus ore
Doctorum Vatum, ceu Biblia ſacra loquuntur,
Comprobat & Paulus diuini buccina verbi:
Quem magni Patres comitantur, & ipſe Lutherus,
Ingenioq; alto præſtant atq; arte Melanthon,
Et pietatis amans Ioannes Brentius, atque
Doctor Nicoleos Hemmingius, ore trilingui
Excellens heros, quo gaudet Dania noſtra:
Nec non Dauides Chytræus, amabilis ille

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1409 8°

Dux gregis Aonij, Doctorq́ piusq́ iuuentæ
Rector, quà sese iucundo murmure tollunt
Vernouides Nymphæ: numerus quibus omnibus in-
Suauiter accedit Doctorum, quos pia virtus (gens
Conspicuos reddit, Musæq́ prioribus addunt,
Ingenioq́ pares faciunt, vel fortè (nec illud
Pernego) maiores. Hi scriptis, voceq́ viua,
Coniugij decus extollunt, vitaq́ fatentur
Egregia: quamuis Monachorum crassa caterua,
Rasaq́ turba statum sanctum conuellere dictis
Gaudeat impuris. Deus at mens casta decensq́,
Qui fertur vindex æquus, iudexq́ futurus
Asseret ipse bonam caussam: volucresq́ sinistras
Exitio tradet, rapidosq́ repellet in ignes
Dæmonis horrendi seruos, qui dira venena
Ore venenoso fundentes nobile magni
Contemerant verbum Christi statibusq́ resistunt
Quos Deus instituit, fœcundat, munit, & ornat.
Hæc Doctor Paulus Matthias, præsul in vrbe
Hafniaca dignus, præclara voce sonabit
Cœtibus in procerum qui congredientur in illa
Regali pompa: nec Regius ille sacerdos
Vir bonus & constans, doctrinarumq́ magister
Nicoleos Coldingensis, tàm sancta tacebit
Dogmata: non alij Pastores pulcra silebunt

(Qualis Ioannes Thomas laus ampla Mineruæ,
Et meus Albinus niuea pietate renidens)
Argumenta, quibus fulgens Ecclesia Christi
Instruitur, mentesq́ piæ firmantur ut omni
Tempore concelebrent laudes & facta Tonantis.
Exemplum verò Friderici Regis amate
Vos reliqui Reges, virtuteq́ surgite sancta
Illustres, quin & castam traducite vitam
Æthereo Regi qui nomina vestra dedistis.
Coniugium aduersus flammas medicina nocentes
Omnibus ecce datur: fluit hinc veneranda propago
Humani generis: nitet hæc schola bella bonarum
Virtutum: Deus hîc colitur, pia corda probantur
Omnigenis studijs & relligione fouentur.
Ergò pios thalamos celebro & castos Hymenæos:
Et te felicem, Rex ô Friderice Secunde,
Dico, teq́ fero, Sophia ô Regina, beatam,
Alite qui dextro socialis fœdera lecti
Dulcia pangentes licito gaudetis amore.
Concessam Venerem sanctiq́ Cupidinis arma
Ferre decet: castos non damno pectoris æstus
Innocui: Iustos animorum laudo calores:
Laudo pias flammas & Amorum millia mille
Legitimi dignas qui non excedere quærunt
Coniugij metas, sed honesta lege tenentur.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1409 8°

Ludite felices animæ, Christumq́; timete:
Ludite dùm tempus sinit: & speciosa iuuenta
Corporibus vestris constat, viresq́; vigescunt
Præualidæ, calidoq́; tepent cum sanguine venæ.
Mox Deus ipse dabit suauißima pignora vobis
Egregios natos, excellentesq́; nepotes,
Quos similes patri facie, matriq́; pudicis
Moribus, extollet manibus Fortuna decoris.
Gaude Vlrice pater, gaude Elisabetha corusca
Reginæ mater: communis gloria vobis
Germine consurgit generoso: Fama perennis
Nascitur en vobis ex his puris Hymenæis.
Dux Auguste potens, cui se Germania Marte
Inclyta submittit, defensoremq́; fatetur,
Romani Imperij Elector nitidißime, salue:
Hancq́; tuæ decora virtutis lumine pompam,
Stemmate qui Regum veteri prognatus es ipse,
Quemq́; soror Regis carum colit Anna maritum,
Anna pias inter venerabilis Heroinas.
Vos patrui, & fratres Regis, cognataq́; turba,
Et proceres, clariq́; viri, iuuenesq́; modesti,
Matronæq́; bonæ, tuq́; intemerata caterua
Nympharum, Charitesq́; sacræ, Veneresq́; iocosæ,
Ferte Deo votum, linguisq́; animisq́; fauete.
Tuq́; Hymenæe animos placidè constringe duorum,

Vno ceu thalamo coniungis corpora bina.
Auspice te surgit præclarus honore maritus,
Te duce virginei celeberrima fama pudoris
Hactenus insignis Sophia intrat Regia coniunx.
Quod superest igitur, Rex & Regina valete,
Et decorate genus vestrum, stirpemq; videte
Crescentem innumeris gradibus: Friderice Secunde,
Multiplices supera longæui Nestoris annos:
Et Sophia excellens, exple longissima Vatis
Secula Cumææ. Nymphæ nunc ostia claudant
Regia formosæ: vos, ô mea gloria Musæ,
Culta per ora virûm doctorum leniter ite.

IEHOVE GENTIVM SERVATORI VICTORIA.

POLITI-

POLITIAS ET OECONOMIAS DIVINITVS CONSERVARI, doctrina & consolatio ex Psalmo cxxvij, Sadolino interprete.

NI Deus ille summus
Te iuuet nutu placido, te pius & gubernet:
Quid tibi cura mordax?
Quid tuis prosunt studijs anxiferi labores?
Ni Deus vrbes altos
Cœlica prudens validæ muniat arte muros:
Quàm temerè laborat,
Nocte qui cæca vigilans mœnia celsa seruat.
Nil iuuat ante claræ
Lucis exortum riguo soluere te sopore:
Serus & ad quietem
Feßa tu frustrà tacitam condere membra quæris:
Noxia vita demùm
Ducitur, si non Dominus te foueat, regatq́.
Nam Deus omne præstat
Commodum iustis, & eos ditat & ornat vltrò.
Cœlitùs ipse donat
Filios casti thalami pignora gratiosa:
Prœmia qui bonorum
Sunt virûm, merces simul & coniugij pudici:
Qui velut & sagittæ

In

In manu culti resident indomita parentis.
Integer ille, tantis
Cuius appensa est humeris plena pharetra telis.
Victor enim refulgens
Exeret sese, reprobos & rigidus retundet:
Nec pudefactus vnquàm
Terga monstrabit tumido Marte furente fastu.

EPITHALAMION EX PSALMO CXXVIII. SAdolino interprete.

QVi Dominum Deum pectore non doloso
Suscipiens timet, cultibus atque rectis
Euehit: hic Dei consilio nitescet
Floridus & beatus.
Iustus enim potest per manuum labores
Accumulare opes atque parare victum.
Plurima sic, Deum qui placidè requiris
Commoda consequêris.
Mente micans proba, corpore grata coniunx.
Ædibus in tuis exiliet potenter,
Vitis vt explicans, non sine dignitate,
Pampineos racemos.
Ad propriam tuam tu residere mensam
Filiolos tuos aspicies decenti

Ordi-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1409 8°


Ordine, ſurculos non ſecus ac virentis
Paciferos oliuæ:
Tot bona per Dei munifici fauorem
Percipit hic pio qui ſtudio tenetur:
Qui quoque ſe duci ſaluifico miniſtrum
Iungit amore fido.
Perge igitur Deo ſubdere te coruſco:
Hic tibi maximas fundet opes Olympo:
Hic tribuet tuæ, donec in orbe deges,
Tempora læta vitæ.
Hic faciet tuam progeniem benignus
Per varios gradus ſplendidulam vigere:
Hic dabit vt ſenex læticia fruaris
Pacèq́ ſempiterna.

FINIS.



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1409 8°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1409 8°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1409 8°